



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput I. Alexander III. (a) Rhemensi Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)

difficultati, & post eos similiter Bulenger, *contra Casanbon. cap. 23. fol. 90.* ex quorum sententia dicendum est, negandam esse consequentiam; nam votum castitatis, quod B. Virgo Maria emisit, fuit factum sub conditione, nisi Deus aliud sibi placere revelasset: quare cum Deus, in cuius favorem emissum erat votum, revelasset per Angelum Beate Virginis, matrimonium esse celebraturam cum D. Josepho, ut constat *ex cap. 1. Lucae*, non peccavit contrahendo absque intentione & proposito in copulam quoad executionem, ut docent Paludanus, Capreolus & alii, quos laudat & sequitur Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 18.* Etiam responderi potest, quod quamvis votum Beate Virginis fuisset absolutum, non peccavit matrimonium contrahendo, quia divina revelatione sibi constitit, matrimonium non esse consummandum, quo casu cum non se exposuisset periculo peccandi, nec levem culpam admisit, ut docuerunt Bonacina *d. q. 2. de natura matrimonii. punct. 1. num. 10.* Layman *lib. 5. summe, tract. 10. cap. 1. num. 3.* nec obstat textus *in d. cap. commissum, de spons.* cuius veram interpretationem in ejus commentario adduxi.

Superiori assertioni opponi potest textus *in cap. quemadmodum, §. illud, de jurejurand.* ubi docetur, quod qui tempore contractus matrimonii juravit, se uxorem de adulterio nunquam accusaturum, licet, & validè illud contrahit, nec potest uxorem postea de adulterio accusare; ergo conditio non servandi fidem, matrimonio adjecta illud non vitiat. Agnoverunt ejus textus difficultatem P. Gregor. *lib. 2. part. tit. 1. cap. 5.* Anguianus *lib. 3. de legibus, cap. 21.* & alii in ejus commentario laudati, cum quibus dicendum est, quòd licet inter bona matrimonii fides enumeretur, non tamen ea conditio, ut si fides frangatur, non liceat accusare uxorem, repugnat substantiæ matrimonii, cum possit maritus non solum semel, verum sæpius remittere injuriam sibi factam, & recipere ipsam peccatricem, *cap. si vir 3. de adulterii;* unde dicta conditio tantum turpis est, & per consequens remittenda, ita ut non solum matrimonium subsistat, verum & possit maritus eam accusare, nisi jurejurando prædictam conditionem firmasset, quia tunc civiliter ipsam accusare non potest, ut in eo textu latius probavi.

13.
Exponitur
cap. quem-
admodum,
§. illud de
jurejur.



TITULUS VI.

Qui Clerici, vel Voventes matrimonium contrahere possunt.

CAPUT I.

Alexander III. (a) *Rhemensi Archiepiscopo.*

DE Diacono verò, qui in Sabbatho sancto quemadmodum Diaconum vulneravit, & mulierem uxoris nomine (b) accepit, hoc tuæ prudentiæ duximus respondendum, quod si contrito, & humiliato animo ad Ecclesiam redire voluerit, dimissâ istâ quam in uxorem accepit, cum non possit, sicut nosti, contrahere matrimonium, ipsum debes recipere, & (c) absolvere à sententia excommunicationis, quam pro violenta injectione manuum noscitur incurrisse; & injunctâ sibi pœnitentiâ de utroque excessu, post peractam pœnitentiam poteris ei diaconatus officium reddere, & (d) dispensativè, si perfectæ vitæ & conversationis fuerit, in presbyterum ordinare. (e) Subdiaconos autem, sive hominem interfecerint, sive non, matrimonium non posse contrahere, sacrorum canonum censura demonstrat.

NOTÆ.

1. (a) *Rhemensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* post Concilium autem Lateran. *p. 26. cap. 20. & 21. & p. 19. cap. 12.* legitur, *Cenomanensi;* quæ incriptio si retineatur, in præsentem refertur pars textus *in cap. 1. de cleric. peregrinis, cap. 9. de cohabit. clericor. & ex principio hujus textus facillè constat, in eo referri secundam partem alicujus Decretalis.*
2. (b) *Accepit.*] Quo factò non sit bigamus, licet pœnis bigamorum puniatur, ut probavi *in cap. 3. de bigamis non ordin.*
- (c) *Absolvere.*] Autoritate videlicet Pontificis; nam si gravis fuerat percussio, absolutio spectabat ad Romanum Pontificem, juxta tradita suprâ *in cap. sacris, de his quæ vi, cap. 3. de sentent. excomm.*
- (d) *Dispensativè.*] Nam contrahendo matrimonium irregularis factus fuit, ut probavi *in d. cap. 3. de bigamis.*
- (e) *Subdiaconos.*] Ut probavi *in can. 33. Concil. Illiber. & à quo tempore gradus hic sacer sit, habeatque votum castitatis annexum, exposui in cap. à multis, de arate, & qualitate.*

3.

4.

5.

CAPUT